

INCIPIT VITA I

MEINWERC

Episcopi Patherbrunnensis.

I.

Posteaquam Mediator Dei & hominum carnem sumere, & crucem subire pro salute dignatus est omnium: discipuli ab ipso electi & dilecti, post ejus gloriosam ascensionem, Spiritus sancti visitatione & consolatione confortati, & omni scientiâ veritatis sunt imbuti, secundum ipsius promissionem: ut per eos salvarentur ante mundi consummationem, qui salvandi per gratiam præordinati erant ante mundi constitutionem. Quorum prædicationis instantiâ, conversa sunt ad Deum innumerabilia multorum hominum millia; agnitaque fide Christianæ religionis, respuerunt cultum antiquæ superstitionis. In cujus unitatem fidei, cum diversarum terrarum & linguarum alacriter & salubriter convenirent populi, convenit quoque magna clementis Salvatoris clementiâ, sedulaque magni Karoli multimodi laboris instantiâ, gens Saxonica: quam ad credendum eo compulit difficilius, quo id genus hominum natura animi erat ferocius. Subjecta autem jugo fidei, facta est sacerdotibus tributaria, quæ tributa aliorum exegerat temeraria; cepitque sua pro Christi amore Christi-

B stia-

cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12

